

Aristotelem divis annumerarunt, & Joh. Baptistæ compararunt Magistri nostri Colonienses, & ii, si Diis placet, Christiani, teste *Cornel. Agrippa de Vanit. Scient. cap. 54.* nec abominandam popularium ipsius superstitionem attingam, quæ altaria demortuo exstruxit, festos dies ejus memoriae statuit, imaginem in templo poni jussit, & similia; ex affectu certe nimio potius, quam ex rei veritate factum omni jure existimamus, ut *Natura Miraculum & grande prodigium* salutarerent Magistrum hunc sui discipuli, *Finem humani intellectus* dicerent, *nihil eum ignorare potuisse* asseverarent, omnes ante ipsum Philosophos cum hoc Sole comparatos inter minora ac nebulosa sidera numerarent. Quò pertinet etiam indefessum quorundam omnia ejus errata non tegendi tantum sed defendendi studium, de quo B. Lutherus quoque suo ævo conquestus est apud Sleidan. Lib. II. Comment. *Aristotelem Theologis Scholasticis in summo pretio esse, & nihil ab eo dictum tam absurdè & alienum à nostra religione, quod non defendant, quod non aliqua interpretatione, quantumvis longè petita, circumvestiant, quò suis illi constet honos atq; nominis existimatio.* Cui affine est quòd nonnulli, eandem secum fidem professis Christianis ac fratribus discessum à Sacra veritate exprobrare haut rarò soliti, magno interim conatu & labore multo in id incubuerint, ut Aristotelem, hominem gentilem, cum Sacris literis ubique consentire, nec ulla in re ipsi, nisi apparenter, contradicere, scriptis in eum finem integris tractatibus, ostenderent; aliqui etiam extraordinariè salvatum hominem tantum non persuaderent sibi, certè votis omnibus expeterent, alioquin eundem se cum Christum DEUM devotè adorantes, sed in uno alteroq; religionis capite aberrantes, intrepidè damnare nihil veriti.

IV. Neque verò hæc Aristotelicæ Sectæ propria, sed aliis plerisq; omnibus, priscis pariter ac recentioribus, communia vitia sunt. Quis enim, ut recenti adhuc exemplo fidem asser-